

*Hic gentis humanum ingenio superavit, & omnes
Restinxit stellas, exortus uti atbereus Sol.*

Vxorem duxerat Violantam Iacobi Arragonum regis filiam, quam impensè amabat, sed quum nullos ex ea liberos fusciperet, pertæsus solitudinis istius, decrevit eam repudiare, inque ejus locum admittere Christianam Danorum Regis filiam, virginem formosissimam, futuram, ut est illius cæli & corporum temperatura, ex conjugio fecundam. Iamque illa accersita haud procul aberat, quum repente Deus Violantæ preces exaudivit, eamque regio femino gravidam effecit. Hic Alphonfus sacrum inter & saxum hærens, incertusque rerum suarum, quum neque Christianam speratam suam posset honeste remittere, neque Violantam conjugem ex se prægnantem dimittere, dubitat quid agat. Erat autem Regi frater Philippus, Abbas Vallis Oletanæ, jamque electus Ecclesiæ Hispanensis Præsul. Hic ultrò fratrem adiit suspensum, ostenditque, se abjecto sacerdotio futurum Christianæ maritum. Placuit Regi fidum fratris consilium. Ita Philippus Christianam duxit, Alphonfus Violantam servavit, exque illa postea sustulit Berenguelam, Ferdinandum, Sanctium, Ioannem, Leonoram & Beatricem. Fuit autem Alphonfus iste non tantum regiis virtutibus instructus, verum etiam aliis civilibus. Nullus eo diligentius libros sacros lectitabat: nemo historias norat expeditius; nemo Mathematicæ doctrinæ, atque imprimis Astronomiæ peritior. Tabulas Astronomicas vulgavit ipse, quæ ab auctore vocantur Alphoninæ. Scripsit quoque historiam mundi, & alia quædam nunquam interitura ingenii monumenta. Ob has virtutes, quum electo Richardo Angliæ Rege dissiderent inter se proceres Imperii, placuit aliis Alphonsum istum designare. Alphonfus tamen pacis amans, haud invitus Richardo cessit: post cujus obitum quum frequentibus suffragiis ipse iterum electus esset, resignato regno in potestatem filii Sanctii, abiit in Germaniam. Sed quum videret multos novis Rudolphi Habsburgensis conatibus favere, rediit in Hispaniam, exclususque à filio non multò post ultimum diem clausit. Sanctio successit Ferdinandus, huic Alphonfus undecimus: post quem fuere Petrus, Henricus, Ioannes primus, Henricus tertius, Ioannes secundus, Henricus quartus, Ferdinandus sextus, Philippus primus, Carolus quintus, Philippus secundus, Philippus tertius; ac tandem Philippus quartus, qui nunc rerum potitus. Ita longa Regum serie res Castellana administrata sunt. Est autem Toletum præcipua hujus

regni civitas, ad flumen Tagum: exstructa magna ex parte ornataque à Bamba Rege, anno DCLXXIV. Hic eam turribus, muro, portis exornavit: posuitque in ejus rei memoriam versus hos:

*Erexit favore DEO Rex inclytus urbem
Bamba, sua celebrem protendens gentis honorem.*

In porta quæ ponti imminet, cui nomen d' Alcantara, hæc marmori insculpta sunt:

*Vos Domini sancti, quorum hic præsentia fulget,
Hanc urbem & plebem solito servate favore.*

De Arce Toletana sic refert Rodericus Toletanus Archiepiscopus, Anno Christi DCC, regnante Roderico ultimo Gotborum Rege, erat Toleti palatium à multorum Regum temporibus clausum, & pluribus ferreis seris obsertatum. Hoc contra procerum voluntatem aperiri jussit rex Rodericus. Sed præter unam arcam nihil in ea offendit, qua aperta reperit panum, cui Latinis litteris sive inscriptum, sive intextum erat quod sequitur:

QVVM CLAVSTRA HEC FRANGENTVR, APERIETVRQVE ARCA ET PALATIVM, ERVNTQVE CONSPICVA QVÆ HACTENVS LATVERVNT, TVNC QVALES HIC VIDES IN HOC PANNO EXPRESSAS GENTES, HISPANIAS INVAIDENT, ET SIBI SVBIVGABVNT.

Hoc viso lectoque doluit vehementer Rex, jussitque omnia pristino suo loco reponi, & claudi, prout antea clausa fuerant. Erant autem in panno illo depicti vultus Arabum. Sed hoc ego commentum simile illis existimo quæ apud Poëtâs leguntur. Nam si fatale fuit utrumque, non potuit alterum alterius vel causa esse vel signum. Quid vero si non attigisset ista Rex, decretum illud Dei irritum fuisset? nugæ. Et tamen decimo septimo post anno, vel ut alii volunt, decimo tertio tota Hispania in Saracenorum potestatem venit, solis Cantabris & Asturis exceptis. Sequenti anno Toletum fraude Indæorum Mauris proditum est. Ita prædictioni illi fides fuit. Porro inter alia permulta Toletanæ urbis memorabilia eminent palatium illud celeberrimum restauratum à Carolo V, multisque novis structuris auctum exornatumque. In hoc machina est cochleata ex Tago flumine aquam in summam arcem attollens, quæ inde tubis & fistulis per universam non modo arcem, verum etiam urbem diffunditur in hortos, balnea, culinas, officinas fullonias, aliaque loca aquis destituta. Proximus urbi pons est supra Tagum: inde reliqua ad Orientem & Occasum utraque in amnis ripa hortis arboribusque plena sunt, jucundo admodum spectaculo.

dida municipia, quorum caput est Guadalacira. Mancía à Tago irrigatur, illius caput est civitas Regalis. Marchionatum habet Vigliena & Prioratum Castellæ, & plures alias regiones & municipia.

Primaria civitas est Madritum, oppidum totius Toletanæ Diœceseos felicissimum, situm in editiori clivo, & Septentrioni majori ex parte exposito, cujus radices alluit modicus amnis, vulgò Guadarrama dictus, qui faxeo ponte transitur; situs amœnitate, aeris salubritate, soli fecunditate inter primas numerandum. Pyritæ lapidis toto territorio largus proventus. Frequens hic recessus & habitatio Regum.

Sexto hinc lapide abest Escuriacum, ubi magnificentissimum illud Sancti Laurentii monasterium visitur, Escurial vulgò; Philippi secundi Hispaniarum regis opus; quod veterum profecto miraculis septem annumerari potest. Frontispicium, Occasum versus, tribus superbit portis, quarum quæ media est, in templum augustissimum, cœnobium, collegiumque ducit: quæ vero ad dexteram, in officinas monasterio sacratas; quæ ad sinistram, in domos scholæ destinatas. Quatuor operis totius angulos exornant quatuor turres, arte mirabiles: quas etiam duæ superant ad ipsius templi pedem, hinc inde fastu quodam assurgentes. Supra ostium templi magnificæ stylobatæ statuas sustentant ex marmore, topoque, sex Israël's Regum, pedes altas septemdecim. Ad Septentrionem palatium templo vicinum spectatur, Regi regioque comitatu commodissime excipiendoparatum. Ad Meridiem variæ sunt porticus, hortus amœnissimus, omnisque generis herbis floribusque instructus; pomarium gratissimis consitum fructibus; item nosocomium, pharmacopolium, & alia.

Alcala de Henares, olim Complutum, urbs est in planitie sita, figurâ ovali, concinnis ædificiis, agro feracissimo: plateam habet insignem in longitudinem porrectam, porticibus utrinque ornatam, sub quibus frequentes ditæque mercatorum tabernæ. Academia denique hic nobilis habetur, qua nobilitatum est Complutum à Francisco Ximeno Cardinali, Archiepiscopo Toletano.

Medina Cœli olim ampla civitas, & nunc Ducatus caput, ad quem octoginta circiter pagi pertinent.

Arangivez locus delitiosus, à Tago & Xarama fluvio rigatur. Hipes agricolis sedulis frequens oppidum. Ocanna, bellum municipium, focos numerat supra ter mille. Talavera ad Tago ripas, salubri aère & solo fecundo posita est. ab hac in Prioratum Castellæ itur.

In Prioratu Castellæ tredecim magna municipia numerantur, quorum præcipua, Templeque, Consuegra, Alcañar.

Sequitur deinceps Vigliena Marchionatus antiquissimus, in quo sunt Rueda, Albacete, Hispania.

Cinciglia, Villar, S. Clemente, Vigliena.

Castella nova veteri præstat & bonitate cœli atque soli & fructuum omnimodorum copia. Nam inter alios fructus, excellentibus olivis abundat, quibus vetus fere destituitur. Pars tamen illa veteris, quæ vulgò terra de Campos appellatur, inter Hispaniæ fertilissimas numerari potest. Nova Tagum flumen habet & fontes Anæ, sicut Vetus Duriam. Reliqua montosa sunt, & satis sterilia.

Est autem hujus regni origo ista. Pelagius regis Roderici patruus, quum in Cantabriam profugisset, eo tempore quo Theoberto fratri à Vitula oculi eruti fuerant, ibi tamdiu latuit, dum recrudesceret bellum Saracenicum, victoresque Christianis rerum potestatem eriperent, eosque per universam Hispaniam occiderent. Pelagius igitur ad Astures profectus cum reliquis Christianorum, Rex illius omnis tractus factus est, ut & Gallaciæ & Legionis: ubi etiam annos totos viginti regnavit. Has sedes posteri Castellam Novam vocaverunt. Ab hoc ergo frequentes Reges orti sunt. Fasilla primus filius ipsi fuit & successor. Eum sequutus est Alphonfus, Petri Cantabrûm Ducis filius, Fasillæ gener. Hic ob extirpatam hæresim Arianorum primus Catholicus nomen habuit. Alphonso successit Froila, qui à fratre Aurelio immani occisus parricidio, ipsum hæredem regni & successorem reliquit. Hunc sequutus est in regno Silo Alphonfi gener, Silonem Muregatus Alphonfi filius nothus, qui Saracenorum ope ad regnum pervenit. Successit Veremundus Alphonfi nepos, qui ex Diacono Rex, ex Rege monachus factus est, & locum Alphonso secundo prioris filio reliquit. Hunc ferunt ab uxore abstinuisse, Saracenos magna interneccione trucidasse, duas sedes Episcopales erexisse, Asturicensem, & Onetensem. Is fuit ὁ ὑπερβόητος Caroli Magni. Alphonso secundo successit Ramirus; huic Ordonius, Ordonio Alphonfus tertius, qui fratres tres excæcavit. Hunc sequuti sunt Garfias, Froila, & Alphonfus quartus, quem regio cultu deposito, ferunt in monasterium concessisse: inde quum regnum iterum peteret, à fratre Ramiro excæcatum. Ramiro successit frater Sanctius, homo obesus, qui ad saginam illam corporis minuendam adhibuit hostis sui Regis Saraceni Medicos: hi non sanarunt ipsum, sed intoxicarunt: obiit anno Domini DCCCXXXVII. Hunc sequuti sunt Ramirus, Alphonfus quintus, Veremundus, Ferdinandus primus Sanctii Castellæ Comitis filius, qui anno MXXVII Castellam Novam ex Comitatu Regnum fecit, quum antea per Comites fuisset administrata. Post hunc fuere Sanctius & frater Alphonfus VI, post hos Alphonfus VII, Sanctius, Alphonfus VIII, Alphonfus IX, Henricus, Ferdinandus, Alphonfus decimus. Hic ille Regum decus, Principum exemplar, virtutis, nobilitatis, eruditionis oraculum,

Hic

Madritum.

Escurial.

Alcala, olim Complutum.

Medina Cœli.

Arangivez.

Prioratus Castellæ.

Marchionatus Vigliena.

Aeris soli ratio.

Flumina.

Origo regni.